



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ  
Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

Quibus modis Diabolus nos tentet. Colloq. LXXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

aut illi causa cadant aut ego saltem  
ad sumptum & impensam restituē-  
dam non compellar.

*Quibus modis Diabolus homines ten-  
tet.*

## COLLOQUIVM LXXXIV.

**F**ACIAMVS iam nunc quod in- THEO.  
stituti nostri ratio postulat, *Apoc. 12.*  
præfatamque descriptionem *9. 20. 2.*  
spirituali isti bello accomodemus.  
Tantum enim tamque inueteratum  
Diaboli aduersarij nostri in ciuita-  
tem isthanc odium est, nunquam ut  
ab illa oculos detorqueat, nunquam  
ut ab ea inuadenda expugnandaque,  
modo vi, modo astutia, ferietur. Et  
ideo Scriptura sacra astutiam vafri-  
tiamque illius descriptura, Draco-  
ne & Serpentem eum appellat: di-  
citque eum circumire quærendo  
quem deuoret, quod impiam illius  
intentionem & calliditatem demō-  
strat. Quemadmodum è contra ex-  
dem diuinæ literæ hominem iustū,  
rectum corde, & bonam honestamque  
actionem, rectam nominant. Hinc  
etiam

*Iob 17. &  
1. 2.*

etiam factum fuisse existimandum est, quod cum in Iob Deus Diabolo per proprium os malignam suam intentionem vellet exprobrare, eum interrogavit: *Vnde venis?* cui ille respondit: *Circuiui terram, & perambulavi eam;* cum directè respondere debuisset, Venio ex Oriente aut Occidente, aut ex alio quopiam loco, responderet ergo, ac dicit, non vnde veniat, sed quid egerit: ostendens obliqua sua responsione & eo quod fecit, linguæ actionumque suarum tortuositatem. Respondet inquam circumeundo, & exponit quomodo ambularit circumiens. Circuit itaque civitatem istam, sicut venator qui feræ, sicut auceps, qui volucri, aut sicut Leo, qui prædæ infidiatur. Conuertitur ille primo ad sensus exteriores, & per eorum portas novum aliquid intromittit, aut bonum malumve aliquod temporale ingerit, vt videlicet animus hominis ad id vel euitandum vel consequendum contra legem DEI inuitetur, sicque diuinam Maiestatem opere verbove offendat. Patefacto

*Diaboli  
primo  
sensus  
exteriores  
inua-  
dunt.*

facto ergo ad hunc modum primo illo aditu, confestim ad sensus interiores conuertitur, & præcipuè ad imaginationem transit, in eaque quantum potest, rei iam perceptæ apprehensionem fingit ac depingit. Sequitur sensualitas, quæ continuo excubat per dictos sensus, & obseruat num fortassis sensualis aliqua præda sibi offeratur: quam simulac animaduertit, excitat confestim vulgus passionum suarum, eam ad prædam inuitat, quo aliquando illa potiatur, & illius voluptate perfruatur. Huius cognitionem postquam Ratio, quæ in edita specula ac turri sedet, tam per imaginationem, quam per partem concupiscibilem accepit, adest repente, & quod sibi repræsentatum fuit, diligenter admodum solerterque examinat: cumque id legi diuinæ aduersari contrariumque esse intelligit, defert extemplo ad voluntatem, quæ si id amore non apprehendat, sed ex consilio rationis auerfetur, peccatum plane nullum committitur, quia videlicet consensus

non

*Imagi-  
natio.*

*Exarsens  
Rationis  
de obie-  
ctis.*

*Prōuidē-  
tia Dei  
in cōser-  
uādo ho-  
mine à  
peccato.*

*Peccatū  
comple-  
tum.*

*Effectus  
peccati.*

*Psal. 410.  
13. 21.*

*Homo  
per pec-  
catū be-  
stia simili-  
lis.*

non accessit. Vbi admiranda sane  
cælestis illius Architecti prouiden-  
tia elucet, qui quo voluntatem mu-  
niret, ne aliquando in peccato in-  
terciperetur, diuersas in illius pro-  
pugnaculo portas constituit, quas  
cum necessario aduersarium Diabo-  
lum transire oporteret, fieri non po-  
test quin eum si velit agnoscat, con-  
siliū petat, arma contra illū corri-  
piat, sicq; animosè illo depulso cum  
peccato adulterium non commit-  
tat. Verum si voluntas à sensualita-  
te malè feriata inescetur, sicque ra-  
tionem repellat, suggestionemque  
carnis & diaboli amplectatur: do-  
nans illi consensum suum, aut re-  
ipsa ac verbis id quod suadetur ex-  
primat; tum vero peccatum com-  
mittitur, & propugnaculum occu-  
patur: emigrat deinde diuina gra-  
tia, Diabolus voluntatem eligit, ra-  
tioni puluerem in oculos spargit;  
tradit clauēs ciuitatis sensualitati,  
& Heræ suæ Heram constituit, ima-  
ginationem in locum rationis suffi-  
cit: reddens hominem, sicut Pro-  
pheta Regius ait, similem iumentis  
infi-

insipientibus, quibus appetitus sen-  
 sualis imperat ac dominatur; ap-  
 prendit tunc cursores illos suos  
 indomitos, quibus, si diutius loco &  
 munitione potiatur, foenum aue-  
 namque voluptatum, & vanitatis  
 carnalis subministrat, sicque peni- *Anima*  
 tus efferatos cōscendit, & in quam *carna-*  
 cunque partem libuit contorquet ac *lis.*  
 flectit: cum interim infelix illa à  
 sponso suo derelicta, gratia diuina  
 destituta, consilio rationis spoliata,  
 & carni subdita, aurum suarum af-  
 fectionum plumbo passionum com-  
 mutat, aliud non amat præter car-  
 nem, hanc appetit, hanc desiderat,  
 propter hanc turbatur ac contrista-  
 tur: illius facultates aliud non sunt  
 quam caro, salus propria ipsi displi-  
 cet, virtus sordet, ac cælum putet.  
 Sicque denique mancipium sui ini-  
 mici effecta, cæca oberrat, plenaque  
 lethiferis vulneribus, ad præcipi-  
 tium æternæ mortis fertur, nisi Deus  
 misericordia commotus, eam ex  
 manibus ac vinculis famosi illius  
 adulteri & animarum Homicidæ  
 eripiat: qui adeo ordinem huius  
 Rei-

Rei-

Reipublicæ ac politiam euertit, vt  
Cyclopicam quandam confusio-  
nem illi inducat.

---

*Descriptio lapsus Adami.*

COLLOQVIVM LXXV.

THBO.

**V**ERVM quemadmodum pau-  
lo ante in persona secundi  
Adami, qui est IESVS Chri-  
stus, viuum exemplum victorię glo-  
riosissimæ conspeximus: ita nunc  
Adami veteris lapsum considere-  
mus, quo videlicet pleniorẽ per-  
fectioremque huius scientiæ cog-  
nitionem indispicamus. Ecce tibi in  
*Gen. 3. 1.* ipsis mundi incunabulis inimicum  
hominis, qui tectus pelle serpenti-  
na, huc illucque obambulat, & tan-  
dem ad Euam veram sensualitatis  
figuram conuertitur. Quæ decepta  
per suggestionem aduersarij, per-  
que proprios sensus, & per ineptam  
ac stultam imaginationem, quæ il-  
li insinuabat fructum hunc veti-  
tum multò quam sapidissimum esse,  
quod præsertim & oculis lenocina-  
retur, & visu gratus foret, eum ap-  
pre-